domini domino: lauda
te et superexaltate eum in secla.
Benedicite angeli domini
domino: benedicite celi domino.
Benedicite aque omnes q̄

ſuper celos ſunt domino: bene
dicite omnes uirtutes dñi do
mino.
Benedicite ſol et luna domi
no: benedicite ſtelle celi domino.
Benedicite ymber et ros do
mino: benedicite omnis ſpiri
tus dei domino.
Benedicite ignis et eſtus
domino: benedicite frigus et
eſtas domino.
Benedicite rores ⁊ pruina

domino: benedicite gelu et frig(us)
domino.
Benedicite glacies et ni
ues domino: benedicite noctes
et dies domino.
Benedicite lux et tenebre
domino: benedicite fulgura
et nubes domino.
Benedicat terra dominu(m):
laudet et superexaltet eum in
secula.
Benedicite montes (et) colles

domino: benedicite uniuersa
germinancia in terra dño.
Benedicite fontes domino:
benedicite maria et flumina
domino.
Benedicite cete et omnia
que mouentur in aquis do
mino: benedicite omnes uo
lucres celi domino.
Benedicite omnes bestie et
pecora domino: benedicite filij
hominum domino.

Benedicat iſrael dominum
laudet et ſuperexaltet eum in
ſecula.
Benedicite ſacerdotes domi
ni domino: benedicite ſerui
domini domino.
Benedicite ſpiritus et ani
me iuſtorum domino: benedi
cite ſancti et humiles corde do
mino.
Benedicite anania azaria
miſael domino: laudate et ſu

perexaltate eum in ſecula.
Benedicamus patrem et
filium cum ſancto ſpiritu
laudemus et ſuperexaltemus
eum in ſecula.
Benedictus es domine in
firmamento celi ⁊ laudabilis
et glorioſus et ſuperexaltatus
in ſecula.
Laudate dominũ de celis
laudate eum in excelſis.
Laudate eum omnes an

geli eius: laudate eum omnes
uirtutes eius.

Laudate eum ſol et luna:
laudate eum omnes ſtelle et
lumen.

Laudate eum celi celorũ ⁊
aque que ſuper celos ſunt
laudent nomen domini.

Quia ipſe dixit et facta ſũt
ipſe mandauit et creata ſunt

Statuit ea in eternum et ĩ
ſeculum ſeculi: preceptum po

ſuit et non preteribit.
Laudate dominum de ter-
ra: dracones et omnes abyſſi.
Ignis grando nix glacies
ſpiritus procellarum que fa-
ciunt verbum eius.
Montes et omnes colles
ligna fructifera et omnes ce-
dri.
Beſtie et univerſa pecora:
ſerpentes et volucres pennate.
Reges terre et omnes po

puli principes et omnes iudi
ces terre.
Iuuenes et uirgines ſenes
cum iunioribus laudent no
men domini quia exaltatū
est nomen eius ſolius.
Confeſſio eius ſuper celū
et terram: et exaltauit cornu
populi ſui.
Hymnus omnibus ſan
ctis eius filijs iſrael populo
appropinquanti ſibi.

Cantate domino cāticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum.

Letetur israel in eo qui fecit eum: et filie syon exultent in rege suo.

Laudent nomen eius ī choro in timpano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum ē domino in populo suo: et exaltauit mansuetos in sa

lutem.
Exultabunt sancti in glo
ria: letabuntur in cubilibus
suis.
Exultaciones dei in guttu
re eorum: et gladij ancipites
in manibus eorum.
Ad faciendã vindictam i
nacionibus: increpaciones
in populis.
Ad alligandos reges eor
in compedibus: et nobiles eo

rum in manicis ferreis.
Ut faciant in eis iudiciũ
conſcriptum: gloria hec eſt õi
bus ſanctis eius. Pſalmus
Laudate dominum in
ſanctis eius: laudate
eum in firmamento uirtutis
eius.
Laudate eum in uirtutibȝ
eius: laudate eum ſecundum
multitudinẽ magnitudinis
eius.

Laudate eum in sono tube:
laudate eum in psalterio et cy
thara.
Laudate eum in tympano et
choro: laudate eum in cordis et
organo.
Laudate eum in cimbalis be
nesonantibus laudate eum in
cimbalis iubilacionis omnis
spiritus laudet dominum.
Gloria patri. Añt Benedicta
tu in mulieribus et benedictus fructus

uentris tui. capl'm.
Te laudant angeli atq;
archangeli sancta dei ge
nitrix que uirum non cogno
uisti et dominum ihesum xpi
stum in tuo sancto utero baiu
lasti. Deo gracias. Hy'.
Virgo dei genitrix quem
totus non capit orbis
in tua se clausit viscera factus
homo.
Vera fides geniti purgauit

crimina mundi et tibi uirgini
tas inuiolata manet.
Te matrem pietatis opem
te clamitat orbis subuenias
famulis o benedicta tuis.
Gloria magna patri com
par tibi gloria nate cum sācto
spiritu gloria magna patri a
men. ℣ Elegit eam deus et p̄elegit
eam. ℟ Et habitare eam facit in
tabernaculo suo. An̄. Hec est regina
Benedictus dominus deus

iſrael quia uiſitauit et fecit re
dempcionem plebis ſue.
Et erexit cornu ſalutis nob
in domo dauid pueri ſui.
Sicut locutus eſt per os ſcõr:
qui a ſeculo ſunt prophetarũ
eius.
Salutem ex inimicis noſtris:
et de manu omnium qui ode
runt nos.
Ad faciendam miſericordi
am cum patribus noſtris: et

memorari testamenti sui sancti.
Iusiurandum quod iura
uit ad abraham patrem nostrũ:
daturum se nobis.
Ut sine timore de manu ĩ
nimicorum nostrorum liberati s
uiamus illi.
In sanctitate et iusticia corã
ipso: omnibus diebus nostris.
Et tu puer propheta altissi
mi uocaberis preibis enim ã
te faciem domini parare uias

eius.
Ad dandam scienciam salutis plebi eius: in remissionem pec catorum eorum.
Per viscera misericordie dei nostri: in quibus visitauit nos oriens exalto.
Illuminare hiis qui in tene bris et umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in vi am pacis.
Gloria patri. an. Hec est regina

virginū que genuit regem velut rosa
decora virgo dei genitrix per quam
reperimus deum et hominem alma
virgo intercede pro nobis omnibꝫ
℣ Domine exaudi orōnem meā.
℟ Et clamor meus ad te veniat.

Oremus. Oratio.

Deus qui corda fidelium
ſancti ſpiritus illu
ſtracione docuiſti da nobis i
eodem ſpiritu recta ſapere et de
eius ſemper ſancta conſola

cione gaudere. oratio.

Deus qui de beate marie uirginis utero uerbum tuum angelo nunciante carnem suscipere uoluisti presta supplicibus tuis ut qui uere eam dei genitricem credimus eius apud te intercessionibus adiuuemur. alia oro

Ecclesiam tuam que sumus domine benignus illustra ut beati iohan

nis apostoli tui et euangeliste
illuminata doctrinis ad do
na perueniat sempiterna. p
xpistum dominum nostrum
amen.

Isti etenim maximo digni sunt
honore uenerari in terris quos in
celis rex regum īmensa cumula
uit gloria. V. Iusti autem in per
petuū uiuēt. R. Et apud dn̄m est
merces eorum. Oremus. Orō.
Propiciatur nobis qs do

nunc famulis tuis p̄ scõrum
tuor quorum corpora vel reli
quie in presenti et alijs omi
bus requiescunt ecclesijs me
rita gloriosa. vt eorũ pia iter
cessione ab omnibz semp̄ p̄te
gamur aduersis. Per xp̄m do
minum nostrum. amen.
De omĩbz scĩs. an̄. Exultabũt scĩ
in gloria letabũtur in cubilibz suis.
℣ Iustorum anime in manu dei
sunt. ℟ Et non tanget illos tor

mentum malitie. oremus. oro.

Omnium sanctorum tuorum q̄s domine i tercessione placatus et ueni am nobis delictorum tribue et remedia sempiterna conce de. Per xpistum dominū no strum amen.

Benedicamus domino.

Deo gracias.

Ad primam.

quod nostri quondam corporis
ex illibata uirgine nascendo
formam sumpseris.
Maria mater gracie mater
misericordie tu nos ab hoste
protege et hora mortis suscipe.
Gloria tibi domine qui na-
tus es de uirgine cum patre et
sancto spiritu in sempiterna
secula amen. Añ. Benedicta tu.
Beatus uir qui non
abiit in consilio impi

Ce liure apartien a antoine
antoine Sagnier le 1 may
1677

orum et in uia peccatorum nō
ſtetit et in cathedra peſtilencie
non ſedit.
Sed in lege domini uolun
tas eius et in lege eius medi
tabitur die ac nocte.
Et erit tāquam lignum
quod plantatū eſt ſecus decur
ſus aquarum quod fructū
ſuum dabit in tempore ſuo.
Et folium eius non deflu
et: et omnia quecūq; faciet

ſemper proſperabuntur.
Non ſic impij non ſic ſed
tamquam puluis quem pro
icit ventus a facie terre.
Ideo non reſurgunt im
pij in iudicio: neque peccatores
in conſilio iuſtorum.
Quoniam nouit dominus
viam iuſtorum: et iter im
piorum peribit. ps. Dd.
Quare fremuerunt gen
tes et populi medita

ti ſunt mania.
Aſtiterunt reges terre et
principes conuenerunt in u
num aduerſus dominum et ad
uerſus xpiſtum eius.
Dirumpamus uincula eor
et proiciamus a nobis iugū
ipſorum.
Qui habitat in celis irride
bit eos: et dominus ſubſan
nabit eos.
Tunc loquetur ad eos in

ira ſua: et in furore ſuo contur
babit eos.
Ego autem conſtitutus
ſum rex ab eo ſuper ſyon mon
tem ſanctum eius predicans
preceptum eius.
Dominus dixit ad me fili
us meus es tu: ego hodie ge
nui te.
Postula a me et dabo tibi
gentes hereditatem tuam et
poſſeſſionem tuam terminos

terre.
Reges eos in uirga ferrea
et tamquam uas figuli con
fringes eos.
Et nunc reges intelligite
erudimini qui iudicatis ter
ram.
Seruite domino in timore:
et exultate ei cum tremore.
Apprehendite disciplinam
nequando irascatur dominꝰ
et pereatis de uia iusta.

Cum exarserit in breui ira
eius: beati omnes qui confi
dunt in eo.
Gloria patri. psalmus dd'
Verba mea auribus
percipe domine: intelli
ge clamorem meum.
Intende uoci oracionis mee
rex meus et deus meus.
Quoniam ad te orabo do
mine: mane exaudies uocem
meam.

Mane astabo tibi et videbo
quoniam non deus volens in
iquitatem tu es.
Neque habitabit iuxta te ma
lignus: neque permanebunt
iniusti ante oculos tuos.
Odisti omnes qui operan
tur iniquitatem: perdes om
nes qui loquuntur mendaciũ.
Virum sanguinum et do
losum abhominabitur domi
nus ego autem in multitu

dñe miſericordie tue.
Introibo in domum tuã
adorabo ad templum ſancti
tuum in timore tuo.
Domine deduc me in iuſti
cia tua propter inimicos me
os dirige in conſpectu tuo vi
am meam.
Quoniam non eſt in ore
eorum veritas: cor eorum va
num eſt.
Sepulchrum patens eſt gut-

tur eorum linguis ſuis doloſe
agebant iudica illos deus.
Decidant a cogitacionibus
ſuis ſecundum multitudinē
impietatū eorum expelle eos
quoniam irritauerunt te do
mine.
Et letentur omnes qui
ſperant in te in eternum ex
ultabunt et habitabis in eis
Et gloriabuntur in te oēs
qui diligunt nomen tuum

quoniam tu benedicies iusto.
Domine ut scuto bone uo
luntatis tue: coronasti nos.
Gloria patri. an. Benedicta
tu in mulieribus et benedictus fruct'
uentris tui. capitulum
Felix namque es sacra vir
go maria et omni lau
de dignissima quia ex te ort'
est sol iusticie xpistus deus
noster. Deo gracias. V. Diffu
sa est gracia in labiis tuis. R. Prop

terra benedixit te deus in eternum.
Diffuſa est gracia in labijs tuis.
Gloria patri et filio et ſpũi ſãcto.
Diffuſa est gracia in labijs tuis.
℣ Specie tua et pulchritudine tua
℟ Intende proſpere procede et regna.
℣ Domine exaudi oracionem meã.
℟ Et clamor meus ad te veniat. Ore.
Deus qui apoſto Orõ
lis tuis ſanctum de
diſti ſpiritum concede plebi
tue pie deuocionis effectũ

ut quibus dedisti fidem lar
giaris et pacem Alia orō.
Famulorum tuorū
quesumus domine
delictis ignosce ut qui tibi
placere de actibus nostris
non valemus genitricis
filii tui domini nostri ihū
xpisti intercessione salvemur.
Ecclesiam Alia oracō.
tuam quesumus
domine benignus illustra

ut beati iohannis apostoli
tui et euangeliste illumina
ta doctrinis ad dona perueni
at sempiterna. Per xpistum
dominum nostrum. amē.

Amen.

Benedicamus domino.

Deo gracias.

Ad terciam.



Deus in adiutori
um meum intẽ
de.

Domine ad adiuuandum
me feſtina.
Gloria patri et filio et ſpiri
tui ſancto.
Sicut erat in principio et
nunc et ſemper et in ſecula ſe
culorum amen. Hymnus
Veni creator ſpiritus
mentes tuorum viſi
ta imple ſuperna gracia que
tu creaſti pectora.
Memento ſalutis auctor

quod nostri quondam corporis
ex illibata uirgine nascendo for
mam sumpseris.
Maria mater gracie mater
misericordie tu nos ab hoste p̄te
ge et hora mortis suscipe.
Gloria tibi domine qui na
tus es de uirgine cum patre et
sancto spiritu in sempiterna
secula. amen. an̄. Dignare me. p̄
Ad dominum cum tribu
larer clamaui: et exau

diuit me.
Domine libera animam me
am a labiis iniquis: et a lin
gua dolosa.
Quid detur tibi aut quid
apponatur tibi ad linguam
dolosam.
Sagitte potentis acute: cū
carbonibus desolatoriis.
Heu michi quia incolatus
meus prolongatus est: ha
bitaui cum habitantibꝫ cedar

multum incola fuit anima
mea.
Cum hijs qui oderunt pa
cem eram pacificus cum loq̄
bar illis impugnabant me
gratis.
Gloria patri psalmus cc
Levaui oculos meos in
montes: unde ueniet
auxilium michi.
Auxilium meum a domi
no: qui fecit celum et terrā.

Non det in commocionem
pedem tuum: neq; dormitet q'
custodit te.
Ecce non dormitabit neq;
dormiet qui custodit israel.
Dominus custodit te do
minus protectio tua sup ma
num dexteram tuam
Per diem sol non uret te:
neq; luna per noctem.
Dominus custodit te ab
omni malo: custodiat animã

tiam dominus.
Dominus custodiat in
troitum tuum et exitum tuū
ex hoc nunc et usqꝫ in seculum.
Gloria patri. psalmus
Letatus sum in hijs
que dicta sunt michi
in domum domini ibimus.
Stantes erant pedes nostri
in atrijs tuis iherusalem.
Iherusalem que edificatur
ut civitas cuius participa

cio eius in idipsum.
Illuc enim ascenderunt
tribus tribus domini testi
monium israel ad confiten
dum nomini domini.
Quia illic sederunt sedes i
iudicio: sedes super domum
dauid.
Rogate que ad pacem sunt
iherusalem: et habundanci
a diligentibus te.
Fiat pax in uirtute tua:

et habundancia in turribus
tuis.
Propter fratres meos et
proximos meos: loquebar pa
cem de te.
Propter domum domini
dei nostri: quesivi bona tibi.
Gloria patri. aña. Dignare
me laudare te virgo sacrata da mi
chi virtutem contra hostes tuos
Paradysi porta per ep.
Evam cunctis clau

sa est et per beatam mariam
uirginem iterũ patefacta est.
Deo gracias. ℟ Specie tua et pul
critudine tua. ℣ Intende prospere pro
cede et regna. Specie tua et pulchritu
dine tua. Gloria patri et filio et spi
ritui sancto. Specie tua ⁊ pulchri
tudine tua. ℣ Adiuuabit eã deus
uultu suo. ℟ Deus in medio eius
non cõmouebitur. ℣ Domine exau
di oronem meã. ℟ Et clamor meus
ad te ueniat. Oremus. Oracio

Adsit nobis quesumus
domine virtus spiritus
sancti que et corda nostra cle
menter expurget et ab omni
bus semper tueatur aduersis.
Concede nos fa
mulos tuos quesu
mus domine deus perpetua
mentis et corporis salute
gaudere et gloriosa beate ma
rie semper virginis intercessi
one a presenti liberari tristi

cia et eterna perfrui leticia.

Ecclesiam tuam quesumus domine benignus illustra ut beati iohannis apostoli tui et euangeliste illuminata doctrinis ad dona perueniat sempiterna. per xpm dominum nostrum. Amen.

Benedicamus domino.

Deo gracias.

Ad sextam



Deus in adiuto
rium meum
intende

Dn̄e ad adiuuandum
me festina
Gloria patri et filio et spi
ritui sancto.
Sicut erat in principio
et nunc et semper et in secu
la seculoꝝ amen. Alleluya.
Veni creator hymn᷒
spiritus mētes tuo
rum uisita imple superna
gracia q̄ tu creasti pectora.
Memēto salutis auctor q

noſtri quondam corporis ex illi
bata uirgine naſcendo formā
ſumpſeris.
Maria mater gracie mater
miſericordie tu nos ab hoſte
protege et hora mortis ſuſcipe
Gloria tibi domine qui na
tus es de uirgine cum patre et
ſancto ſpiritu in ſempiterna
ſecula. amen. aā. Poſt partū uirgo.
Ad te leuaui oculos Ps.
meos: qui habitas i

celis.

Ecce sicut oculi seruorum:
in manibus dominor suorũ.
Sicut oculi ancille in maī
bus domine sue ita oculi no
stri ad dominum deum no
strum donec misereatur nrī.
Miserere nostri domine mi
serere nostri: quia multū re
pleti sumus despectione.
Quia multum repleta est
anima nostra: opprobrium

habundantibus et despectio su
perbis.
Gloria patri.
Nisi quia dominus erat
in nobis dicat nunc
israel nisi quia dominus erat
in nobis.
Cum exurgerent homines
in nos forte uiuos deglutissent
nos.
Cum irasceretur furor eorum
in nos: forsitan aqua absor

buisset nos.
Torrentem pertransivit a
nima nostra forsitan pertran
sisset anima nostra aquam i
tollerabilem.
Benedictus dominus qui
non dedit nos in capcione den
tibus eorum.
Anima nostra sicut passer
erepta est de laqueo venanci
um.
Laqueus contritus est: et

nos liberati ſumus.
Adiutorium noſtrum in
nomine domini qui fecit ce
lum et terram.
Gloria patri. pſalmus.
Qui confidunt in do
mino ſicut mons
ſyon non commouebitur ī
eternum qui habitat in ihe
ruſalem.
Montes in circuitu eius
et dominus in circuitu po

puli sui ex hoc nunc et usque
in seculum.
Quia non relinquet domi
nus virgam peccatorum sup
sortem iustorum ut non extē
dant iusti ad iniquitatem
manus suas.
Benefac domine: bonis et
rectis corde.
Declinantes autem in obli
gaciones adducet dominus
cum operantibus iniquitatē

pax super israel.
Gloria patri. an̄. Post partū
uirgo inuiolata permansisti dei
genitrix intercede pro nobis. capitulum
Gaude maria uirgo cūc
tas hereses sola inter
emisti in uniuerso mundo.
Deo gracias. ℣ Adiuuabit eā
deus uultu suo. ℟ Deus in medio eius
non commouebitur. Adiuuabit
eam deus uultu suo. Gloria patri
et filio et spiritui sancto. Adiuuabit eā

deus uultu ſuo. ℣ Elegit eam deus et
preelegit eam. ℟ Et habitare facit eã
in tabernaculo ſuo. ℣ Domine exau
di oracionem meam. ℟ Et clamor
meus ad te ueniat. Oremus. Orõ.
Mentes noſtras queſu
mus domine paracli
tus ſpiritus ſanctus qui a te
procedit illuminet et indu
cat in omnem ſicut tuus p
miſit filius ueritatem
Concede queſumus oĩ

potens et misericors deus fra
gilitati nostre presidium ut
qui sancte dei genitricis et
gloriose virginis marie me
moriam agimus intercessi
onis eius auxilio a nostris
iniquitatibus resurgamus
Ecclesiam oracio
tuam quesumus do
mine benignus illustra ut
beati iohannis apostoli tui
et evangeliste illuminata

doctrinis ad dona perueniat se
piterna. Per xpistum domi
num nostrum. amen
Benedicamus domino.
Deo gracias.

Ad nonam



Conuerte nos
deus ſalutaris
noſter

Et auerte iram tuam a no
bis.
Deus in adiutorium me
um intende.
Domine ad adiuuandū
me festina.
Gloria patri et filio et spi
ritui sancto.
Sicut erat in principio et
nunc et semper et in secula se
culorum. amen.
Sancta dei genitrix.

Usq; quo domine oblivisce
ris me in finem: usq;
quo avertis faciem tuam a me.
Quamdiu ponam consilia
in anima mea: dolorem in cor
de meo per diem.
Usq; quo exaltabitur ini
micus meus super me respice et
exaudi me domine deus meus.
Illumina oculos meos ne
umquam obdormiam in mor
te nequando dicat inimicus

meus preualui aduersus eum.
Qui tribulant me exulta
bunt si motus fuero: ego autẽ
in misericordia tua speraui.
Exultabit cor meum in sa
lutari tuo cantabo domino
qui bona tribuit michi et psal
lam nomini domini altissimi.
Gloria patri.
Iudica me deus et discerne
causam meam de gente nõ
sancta ab homine iniquo

et doloſo erue me.
Quia tu es deus fortitudo
mea quare me repuliſti ⁊ qua
re triſtis incedo dum affligit
me inimicus.
Emitte lucem tuam et veri
tatem tuam ipſa me deduxe
runt et adduxerunt in montē
ſanctum tuum et in taberna
cula tua.
Et introibo ad altare dei ad
deum qui letificat iuuentutē

meam.
Confitebor tibi in cythara
deus deus meus quare tristis
es anima mea et quare contur
bas me.
Spera in deo quoniam ad
huc confitebor illi salutare vul
tus mei et deus meus.
Gloria patri. psalmus dd
Sepe expugnauerunt
me a iuuentute mea
dicat nunc israel.

Sepe expugnauerunt me a
iuuentute mea: etenim non po
tuerunt michi.
Supra dorsum meum fabri
cauerunt peccatores: prolonga
uerunt iniquitatem suam
Dominus iustus concidet
ceruices peccatorum confun
dantur et conuertantur retror
sum omnes qui oderunt syon
Fiant sicut fenum tectorum
quod priusquam euellatur

exaruit.

De quo non impleuit ma
num suam qui metet et sinū
suum qui manipulos colli
get.

Et non dixerunt qui prete
ribant benedictio domini sup
uos benediximus uobis in
nomine domini.

Gloria patri. psalmus dd.

Domine non est exalta
tum cor meum: neqꝫ

elati sunt oculi mei.
Neqꝫ ambulaui in magnis
neqꝫ in mirabilibus super me
Si non humiliter sentiebã:
sed exaltaui animam meam.
Sicut ablactatus est super
matre sua: ita retribucio in a
nima mea.
Speret israel in domino: ex
hoc nunc et usqꝫ in seculum.
Gloria patri.
Domine non est exaltatu

tum cor meum: neqꝫ elati sunt
oculi mei.
Neqꝫ ambulaui in magnis:
neqꝫ in mirabilibus sup me.
Si non humiliter sentiebã:
sed exaltaui animam meam.
Sicut ablactatus est super
matre sua: ita retribucio in
anima mea.
Speret israel in domino:
ex hoc nunc et usqꝫ in seculum.
Gloria patri. Añ. Sancta dei

genitrix uirgo semper maria intercede
pro nobis ad dominum caplm̄.
Sicut cynamomum et
balsamum aromati
zans odorem dedi et quasi mir
ra electa dedi suauitatem odo
ris. Deo gracias. Hymnus
Virgo dei genitrix quē
totus non capit orbis
in tua se clausit uiscera fact⁹
homo.
Vera fides geniti purgat

uit crimina mundi et tibi
uirginitas inuiolata manet.
Te matrem pietatis opē
te clamitat orbis ſubuenias
famulis o benedicta tuis.
Gloria magna patri com
par tibi gloria nate cum ſcō
ſpiritu gloria magna patri
amen. ℣ Ecce ancilla domini ℟
Fiat michi ſecundum ūbū tuum.
Aīt Cum iocunditate.
Nunc dimittis ſeruum

tuum domine: ſecundum uer
bum tuum in pace.
Quia uiderunt oculi mei:
ſalutare tuum.
Quod paraſti: ante faciē
omnium populorum.
Lumen ad reuelacionem
gencium: et gloriam plebis
tue iſrael.
Gloria patri. an̄. Cum iocun
ditate memoriam beate marie cele
bremus ut ipſa pro nobis inter

cedat ad dominum deum nostrum.
Domine exaudi oracionem meā.
Et clamor meus ad te veniat. Oremus.
Ure igne sancti spi-
ritus renes nostros et
cor nostrum domine ut tibi
casto corpore seruiamus et
mundo corde placeamus. Oracio
Graciam tuam quesu-
mus domine mentibus
nostris infunde ut qui ange-
lo nunciante xpisti filij tui i

carnacionem cognouimus p
passionem eius et crucem ad
resurrectionis gloriam perdu
camur.

Ecclesiam tuam quesu
mus domine benigne
illustra: ut beati iohannis
apostoli tui et euangeliste illu
minata doctrinis ad dona p
ueniat sempiterna. Per xpi
stum dominum nostrum. a
men.

Benedicamus domino

Deo gracias.



A. Placebo. ps

Dilexi quoniam
exaudiet dns

uocem oracionis mee.
Quia inclinauit aurem su
am michi: et in diebus meis
inuocabo.
Circũdederunt me dolores
mortis: et pericula inferni inue
nerunt me.
Tribulacionem et dolorem
inueni: et nomen domini in
uocaui.
O domine libera animam
meam misericors dominus et

iustus et deus noster miseretur
Custodiens paruulos do-
minus: humiliatus sum et li-
berauit me.
Conuertere anima mea in
requiem tuam: quia dominus
benefecit tibi.
Quia eripuit animam meã
de morte oculos meos a lacri-
mis et pedes meos a lapsu.
Placebo domino: in regione
uiuorum.

Requiem eternam dona eis
domine: et lux perpetua luceat eis.
a. Placebo domino in regione uiuorum.
a. Heu me. psalmus
Ad dominum cum tribu
larer clamaui: et exau
diuit me.
Domine libera animam meā
a labiis iniquis et a lingua do
losa.
Quid detur tibi aut quid ap
ponatur tibi ad linguam dolo

sam.

Sagitte potentis acute: cum
carbonibus desolatoriis.

Heu michi quia incolatus
meus prolongatus est habi
taui cum habitantibus cedar
multum incola fuit aīa mea.

Cum hys qui oderunt pacē
eram pacificus cum loquebar
illis impugnabant me gratis.

Requiem eternam dona eis
domine: et lux perpetua luceat e

is. An. Heu me domine quia incolatus
meus prolongatus est. An. Dominus
custodit. Psalmus

Levavi oculos meos in
montes: unde veniet au
xilium michi.
Auxilium meum a domino:
qui fecit celum et terram.
Non det in commocionem
pedem tuum: neque dormitet qui
custodit te.
Ecce non dormitabit neque dor

miet qui cuſtodit iſrael.

Dominus cuſtodit te domi
nus protectio tua ſup manum
dexteram tuam.

Per diem ſol non uret te: ne
q; luna per noctem.

Dominus cuſtodit te ab ōi
malo: cuſtodiat animam tuā
dominus.

Dominus cuſtodiat introi
tum tuum et exitum tuum
ex hoc nunc et uſq; in ſeculum.

Requiem eternã dona eis do
mine: et lux perpetua luceat eis.
Añ. Dominus custodit te ab omni ma
lo custodiat animam tuã dominus.
Añ. Si iniquitates.
De profundis clamaui
ad te domine: domine
exaudi uocem meam.
Fiant aures tue intendentes
in uocem deprecacionis mee.
Si iniquitates obseruaue
ris domine domine quis susti

nebit.
Quia apud te propiciacio est
et propter legem tuam sustinu
i te domine.
Sustinuit anima mea in
uerbo eius: sperauit anima me
a in domino.
A custodia matutina usqꝫ ad
noctem: speret israel in domino.
Quia apud dominum mi
sericordia et copiosa apud eũ
redemptio.

Et ipse redimet israel: ex om
nibus iniquitatibus eius.
Requiem eternam dona eis
domine: et lux perpetua luceat eis.
Aña. Si iniquitates obseruaueris domi
ne domine quis sustinebit. Aña. Opera.
Confitebor tibi domine ps.
in toto corde meo: quoni
am audisti uerba oris mei.
In conspectu angelorũ psal
lam tibi adorabo ad templum
sanctum tuum et confitebor no

mini tuo.
Super miſericordia tua et
ueritate tua: quoniam magni
ficaſti ſuper omne nomen ſan
ctum tuum.
In quacumque die inuoca
uero te exaudi me: multiplica
bis in anima mea uirtutem.
Confiteantur tibi domine
omnes reges terre: quia audie
runt omnia uerba oris tui.
Et cantent in uijs domini

quoniam magna est gloria
domini.
Quoniam excelsus dominus
et humilia respicit et alta a lō
ge cognoscit.
Si ambulauero in medio
tribulacionis uiuificabis me
et super iram inimicor̄ meorū
extendisti manum tuam ⁊ sal
uum me fecit dextera tua.
Dominus retribuet pro me
domine misericordia tua in se

eculum opera manuum tuarũ
ne despicias.
Requiem eternam dona eis
domine: et lux perpetua luceat
eis. añ. Opera manuum tuarum
añ. psalmus david
Magnificat: anima mea
dominum.
Et exultavit spiritus meus:
in deo salutari meo.
Quia respexit humilitatem
ancille sue ecce enim ex hoc bea

tam me dicent omnes genera
ciones.
Quia fecit michi magna
qui potens eſt: et ſanctum no
men eius.
Et miſericordia eius a pro
genie in progenies timētibꝫ
eum.
Fecit potenciam in brachi
o ſuo diſperſit ſuperbos men
te cordis ſui.
Depoſuit potentes de ſede: et

exaltauit humiles.
Esurientes impleuit bonis:
et diuites dimisit inanes.
Suscepit israel puerum su
um: recordatus misericordie
sue.
Sicut locutus est ad patres
nostros abraham et semini e
ius in secula.
Requiem eternam dona e
is domine: et lux perpetua luce
at eis. Aña. Qui lazarum resuscita

sti a monumento fetidum tu eis domi
ne dona requiem et locum indulgēne.
Pater noster. Et ne nos inducas
in temptacionē. Sed libera nos a ma
lo amen. ℣. Requiem eternā dona e
is domine. ℟ Et lux ꝑpetua luceat e
is. ℣ In memoria eterna erūt iusti. ℟
Ab audicione mala non timebunt. ℣
A porta inferi. ℟ Erue domine animas
eorum. ℣ Credo videre bona domini. ℟
In terra viuencium. Ps. Da
Lauda anima mea domi

num laudabo dominum in ui
ta mea. pſallam deo meo quã
diu fuero.

Nolite confidere in principi
bus nec in filijs hominum in
quibus non eſt ſalus.

Exibit ſpiritus e[illegible]
tur in terram ſuam in illa die
peribunt omnes cogitaciones
eorum.

Beatus cuius deus iacob
adiutor eius ſpes eius in dño

deo ipſius qui fecit celum et ter
ram mare et omnia que in eis
ſunt.
Qui cuſtodit veritatem in
ſeculum facit iudicium iniuri
am paciencibus dat eſcam eſu
rientibus.
Dominus ſoluit compedi
tos: dominus illuminat cecos.
Dominus erigit eliſos: do
minus diligit iuſtos.
Dominus cuſtodit aduenas

pupillum et viduam suscipiet
et vias peccatorum disperdet.
Regnabit dominus in secu
la deus tuus syon in omni ge
neracione et generacionem.
Requiem eternam dona eis
domine: et lux perpetua luceat
eis.
Requiescant in pace.
Amen.
Domine exaudi oracionē
meam.

Et clamor meus ad te veni-
at. Oremus. Oratio.
Quesumus domine ani-
me famuli tui cuius
obitus sui diem primum cōme-
moramus sanctorum atq; elec-
torum tuorum largire consorti-
um. et rorem misericordie tue
perhennem infunde. Per. Alia oro
Inclina domine aurem tuā
ad preces nostras quibus
misericordiam tuam sup

plices deprecamur ut animam
famuli tui quam de hoc seculo
migrare iussisti in pacis ac lucis
regione constituas et sanctorum
tuorum iubeas esse consorte͂. P.
Deus venie largitor
et humane salutis a
mator quesumus immensā
clemenciam tuam ut nostre
congregacionis fratres et so
rores amicos parentes et bene
factores nostros qui ex seculo

transierunt beata maria semp
uirgine intercedente cum omni
bus sanctis tuis ad perpetue be
atitudinis consorcium peruenire
concedas. per

Deus qui nos patrem et
matrem honorare pre
cepisti miserere clementer ani
mabus patris et matris mee
eorumq; peccata dimitte meq;
cum eis in eterne claritatis
gaudio fac uidere. per xpm

Alia oratio

Deus cuius miseracione
anime fidelium requie
scunt famulis et famulabus
tuis omnibus hic et ubiq; in
xpisto quiescentibus da propi
cius veniam peccatorum ut a
cunctis reatibus absoluti tecu
sine fine letentur. per. Alia orõ

Fidelium deus omniū
conditor et redemptor
animabus famulorū famu

larumque tuarum remissionem
cunctorum tribue peccatorum
ut indulgenciam quam semper
optauerunt piis supplicacioni
bus consequantur. Qui viuis
et regnas deus per omnia secula
seculorum. amen.

Dirige.

Verba mea auribus per
cipe domine: intellige
clamorem meum.

Intende uoci oracionis mee:

rex meus et deus meus.

Quoniam ad te orabo domi
ne mane exaudies vocem meã.

Mane astabo tibi et videbo q̃
niam non deus volens iniqui
tatem tu es.

Neq; habitabit iuxta te ma
lignus: neq; permanebunt in
iusti ante oculos tuos.

Odisti omnes qui operantur
iniquitatem: perdes omnes q̃
loquuntur mendacium.

Uirum sanguinum et dolo
sum abhominabitur dominus
ego autem in multitudine mi
sericordie tue.
Introibo in domum tuam
adorabo ad templum sanctũ
tuum in timore tuo.
Domine deduc me in iustia
a tua propter inimicos meos
dirige in conspectu tuo uiam
meam.
Quoniam non est in ore

eorum ueritas: cor eorum uanū
eſt.
Sepulchrum patens eſt gut
tur eorum linguis ſuis doloſe
agebant iudica illos deus.
Decidant a cogitationibus
ſuis ſecundum multitudinem
impietatum eorum expelle eos
quoniam irritauerunt te dñe.
Et letentur omnes qui ſpe
rant in te in eternum exulta
bunt et habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te om̄s
qui diligunt nomen tuum
quoniam tu benedices iusto.
Domine ut scuto bone uo
luntatis tue: coronasti nos.
Requiem eternā dona eis
domine: et lux perpetua luceat
eis. A. Dirige domine deus meus ī
conspectu tuo uiam meā. P̄s. Conuerte.
Domine ne in furore P̄s.
tuo arguas me: neq̄
in ira tua corripias me.

Miserere mei domine quoniam infirmus sum sana me domine quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.
Et anima mea turbata est valde: sed tu domine usquequo.
Convertere domine et eripe animam meam salvum me fac propter misericordiam tuam.
Quoniam non est in morte qui memor sit tui in infer

no autem quis confitebitur t
Laboraui in gemitu meo
lauabo per singulas noctes
lectum meum lacrimis me
is stratum meum rigabo.
Turbatus est a furore ocul'
meus inueteraui inter omnes
inimicos meos.
Discedite a me omnes q'
operamini iniquitatē: quo
niam exaudiuit dominus vo
cem fletus mei.

Exaudiuit dominus depre
cacionem meam: dominus
oracionem meam ſuſcepit.
Erubeſcant et conturbētur
uehementer omnes inimici
mei conuertantur et erube
ſcant ualde uelociter.
Requiem eternā dona eis
domine: et lux perpetua luceat
eis. Añ. Conuertere domine et eri
pe animam meā quoniam non
eſt in morte qui memor ſit tui.

A. Nequando psalmus

Domine deus meus in te speravi: salvum me fac ex omnibus persequentibus me et libera me.

Nequando rapiat ut leo animam meam dum non est qui redimat neque qui salvum faciat.

Domine deus meus si feci istud si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus
michi mala: decidam meri
to ab inimicis meis inanis.
Persequatur inimicus a
nimam meam et comprehen
dat et conculcet in terra vitā
meam et gloriam meam in
pulverem deducat.
Exurge domine in ira tu
a: et exaltare in finibus ini
micorum meorum.
Exurge domine deus me

us in p̄cepto quod manda
sti: et synagoga populorum
circumdabit te.
Et propter hanc in altū
regredere: dominus iudicat po
pulos.
Iudica me domine secūdū
iusticiam meam: et secundū
innocenciam meam sup̄ me.
Consumetur nequicia pec
catorum et diriges iustum
scrutans corda et renes deus.

Iustum adiutorium meũ
a domino qui ſaluos facit rec
tos corde.
Deus iudex iuſtus fortis ⁊
paciens: numquid iraſcitur
per ſingulos dies.
Niſi conuerſi fueritis gla
dium ſuum vibrauit arcũ
ſuum tetendit et parauit il
lum.
Et in eo parauit uaſa mor
tis: ſagittas ſuas ardentibꝫ

effecit.
Ecce parturiit iniuſticiam
concepit dolorem et peperit ini
quitatem.
Lacum aperuit et effodit eũ
et incidit in foueam quã fecit.
Conuertetur dolor eius in
caput eius et in uerticem ipſi
us iniquitas eius deſcendet.
Confitebor domino ſecun
dum iuſticiam eius: et pſallã
nomini domini altiſſimi.



Domine ne in fu
rore tuo arguas
me neqꝫ in ira

tua corripias me.

Miserere mei dñe quoniã inf'
mus sum sana me domine q̃m
conturbata sunt ossa mea.

Et aĩa mea turbata est ual
de sed tu domine usq; quo.

Conuertere dñe ⁊ eripe ani
mam meã saluum me fac ꝓ
ter misericordiam tuã

Q̃m non est ĩ morte q̃ me
mor sit tui in inferno autem
quis confitebitur tibi

Laboraui in gemitu meo la
uabo per singulas noctes lectū
meum lacrimis meis stratū
meum rigabo.
Turbatus est a furore oculus
meus inueteraui inter omnes
inimicos meos.
Discedite a me omnes qui
operamini iniquitatem: quo
niam exaudiuit dominus uo
cem fletus mei.
Exaudiuit dominus depre

oracionem meam: dominus ora
cionem meam suscepit.
Erubescant et conturbentur
uehementer omnes inimici me
i conuertantur et erubescant
ualde uelociter:
Gloria patri
Beati quorum remisse
sunt iniquitates: et
quorum tecta sunt peccata.
Beatus uir cui non impu
tauit dominus peccatum: nec

eſt in ſpiritu eius dolus.
Quoniam tacui inueterau
erunt oſſa mea dum clama
rem tota die.
Quoniam die ac nocte gra
uata eſt ſuper me manus tua
conuerſus ſum in erumpna
mea dum configitur michi
ſpina.
Delictum meum cognitũ
tibi feci: et iniuſticiam meã
non abſcondi.

Dixi confitebor aduersum me
iniusticiam meam domino: et
tu remisisti impietatem peccati
mei.
Pro hac orabit ad te omnis
sanctus in tempore oportuno.
Verumptamen in diluuio
aquarum multarum ad eũ
autem non approximabunt.
Tu es refugium meum a
tribulacione que circũdedit
me exultacio mea erue me a

circumdantibus me.
Intellectum tibi dabo et in
ſtruam te in via hac qua gra
dieris firmabo ſuper te oculos
meos.
Nolite fieri ſicut equus et
mulus: quibus non eſt intel
lectus.
In chamo et freno maxillas
eorum conſtringe qui non a
proximant ad te.
Multa flagella peccatoris

ſperantem autem in domino
miſericordia circumdabit.
Letamini in domino et ex
ultate iuſti: et gloriamini ōs
recti corde.
Gloria patri. psalmus dd'.
Domine ne in furore tuo
arguas me: neq; in i
ra tua corripias me.
Quoniam ſagitte tue in
fixe ſunt michi et confirma
ſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne me-
a a facie ire tue non eſt pax oſ-
ſibus meis a facie peccatorum
meorum.
Quoniam iniquitates mee
ſupergreſſe ſunt caput meũ et
ſicut onus grave gravate ſũt
ſuper me.
Putruerunt et corrupte
ſunt cycatrices mee a facie ĩ-
ſipiencie mee.
Miſer factus ſum et curva-

tus ſum uſqꝫ in finem tota die
contriſtatus ingrediebar.
Quoniam lumbi mei imple
ti ſunt illuſionibus: et non eſt
ſanitas in carne mea.
Afflictus ſum et humiliatꝰ
ſum nimis rugiebam a gemi
tu cordis mei.
Domine ante te omne deſi
derium meum: et gemitus me
us a te non eſt abſconditus
Cor meum conturbatū eſt

in me dereliquit me uirtus
mea et lumen oculorum meo
rum meorum et ipsum non
est mecum.
Amici mei et proximi mei
aduersum me appropinqua
uerunt et steterunt.
Et qui iuxta me erant de
longe steterunt et uim facie
bant qui querebant animã
meam.
Et qui inquirebant mala

michi locuti sunt uanitates: et
dolos tota die meditabantur
Ego autem tanquam sur
dus non audiebam: et sicut
mutus non aperiens os suū.
Et factus sum sicut homo
non audiens et non habēs
in ore suo redarguciones.
Quoniam in te domine spe
raui: tu exaudies me domine
deus meus.
Quia dixi nequando sup

gaudeant michi inimici mei
et dum commouentur pedes
mei ſuper me magna locuti
ſunt.
Quoniam ego in flagella
paratus ſum: et dolor meus ī
conſpectu meo ſemper.
Quoniam iniquitatē me
am annunciabo et cogitabo
pro peccato meo.
Inimici autem mei ui
uunt et confirmati ſūt ſup

me: et multiplicati sunt qui o
derunt me inique.
Qui retribuunt mala pro bo
nis detrahebant michi: quoniã
sequebar bonitatem.
Ne derelinquas me domine
deus meus: ne discesseris a me.
Intende in adiutoriũ meũ
domine deus salutis mee.
Gloria patri.
Miserere mei deus secun
dum magnã miseri

cordiam tuam.
Et secundū multitudinem
miseracionum tuarum dele ini
quitatem meam.
Amplius laua me ab iniq̄
tate mea: et a peccato meo mun
da me.
Quoniam iniquitatē meā
ego cognosco: et peccatū meum
contra me est semper.
Tibi soli peccaui et malum
coram te feci ut iustificeris in

sermonibus tuis et uincas cū
iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibꝫ
conceptus sum: et in peccatis
concepit me mater mea.
Ecce enim ueritatē dilexisti
incerta et occulta sapiencie
tue manifestasti michi.
Asperges me domine ẏsopo ꝛ
mundabor lauabis me et sup
niuem dealbabor.
Auditui meo dabis gau

dium et leticiam: et exultabunt
ossa humiliata.
Averte faciem tuam a pecca
tis meis: et omnes iniquitates
meas dele.
Cor mundum crea in me
deus: et spiritum rectum inno
va in visceribus meis.
Ne proicias me a facie tua
et spiritum sanctum tuum
ne auferas a me.
Redde michi leticiam sa

lutaris tui: et spiritu principa
li confirma me.
Docebo iniquos uias tuas:
et impii ad te conuertentur.
Libera me de sanguinibus
deus deus salutis mee et exul
tabit lingua mea iusticiam
tuam.
Domine labia mea aperies
et os meum annunciabit
laudem tuam.
Quoniam si uoluisses sa

crificium dedissem utiq; holo
caustis non delectaberis.
Sacrificium deo spiritus cō
tribulatus cor contritum et hu
miliatum deus non despicies
Benigne fac domine in bona
uolumtate tua syon: ut edifi
centur muri iherusalem.
Tunc acceptabis sacrifici
um iusticie oblaciones et holo
causta tunc imponent super
altare tuum uitulos

Domine exaudi oratio
nem meam: et clamor
meus ad te ueniat.
Non auertas faciem tuā
a me in quacūq; die tribulor
inclina ad me aurem tuam.
In quacūq; die inuocauer
o te: uelociter exaudi me.
Quia defecerunt ſicut fumꝰ
dies mei: et oſſa mea ſicut cre
mium aruerunt.
Percuſſus ſum ut fenum

et aruit

et aruit cor meum: quia obli
tus sum comedere panem me
um.
A uoce gemitus mei: adhesit
os meum carni mee.
Similis factus sum pellica
no solitudinis: et factus sum
sicut nicticorax in domicilio.
Vigilaui et factus sum si
cut passer solitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mi
chi inimici mei: et qui lauda

bant me aduersum me iurabāt.
Quia cinerem tanquam
panem manducabam: et potū
meum cum fletu miscebam.
A facie ire indignacionis
tue: quia eleuans allisisti me
Dies mei sicut umbra decli
nauerunt: et ego sicut fenū
arui.
Tu autem domine in eter
num permanes: et memoriale
tuum in generacione et gene

racionem.

Tu exurgens domine miſe-
reberis ſyon quia tempus mi-
ſerendi eius. quia uenit tēpus.
Quoniam placuerunt ſer-
uis tuis lapides eius: et terre
eius miſerebuntur.
Et timebunt gentes nomē
tuum domine: et omnes reges
terre gloriam tuam.
Quia edificauit dominus
ſyon: et uidebitur in gloria

ſua.
Reſpexit in oracionem humi
lium: et non ſpreuit precem eor.
Scribantur hec in generacio
ne altera: et populus qui crea
bitur laudabit dominum.
Quia proſpexit de excelſo ſan
cto ſuo: dominus de celo in ter
ram aſpexit.
Ut audiret gemitus compe
ditorum: et ſolueret filios in
teremptorum.

Ut annuncient in syon no
men domini: et laudem eius
in ierusalem.
In conueniendo populos in
unum: et reges ut seruiant do
mino.
Respondit ei in uia uirtutis
sue: paucitatem dierum meo
rum nuncia michi.
Ne reuoces me in dimidio
dierum meorum: in generaci
one et generacionem anni

tu.
Inicio tu domine terram
fundasti: et opera manuum
tuarum sunt celi.
Ipsi peribunt tu autem
permanes: et omnes sicut ue
stimentum ueterascent.
Et sicut opertorium muta
bis eos et mutabuntur tu
autem idem ipse es et anni
tui non deficient.
Filij autem seruorum tu

orum habitabunt: et ſemen
eorum in ſeculum dirigetur.
Gloria patri. ps.
De profundis clamaui
ad te domine: domine
exaudi uocem meam.
Fiant aures tue intenden
tes: in uocem deprecationis
mee.
Si iniquitates obſeruaue
ris domine: domine quis ſuſti
nebit.

Quia apud te propiciacio est
et propter legem tuam sustinui
i te domine.

Sustinuit anima mea in u
bo eius: speravit anima mea ī
domino.

A custodia matutina usq;
ad noctem speret israel in domi
no.

Quia apud dominum mise
ricordia et copiosa apud eum re
dempcio.

Et ipse redimet israel: ex om
nibus iniquitatibus eius.
Gloria patri ps dd.
Domine exaudi oratio
nem meam auribus
percipe obsecracionem meam i
ueritate tua exaudi me in tua
iusticia.
Et non intres in iudicium
cum seruo tuo: quia non iusti
ficabitur in conspectu tuo om
nis uiuens.

Quia perſecutus eſt inimicus
animam meam: humiliavit
in terra vitam meam.
Collocavit me in obſcuris
ſicut mortuos ſeculi et ancia
tus eſt ſuper me ſpiritus meus
in me turbatum eſt cor meum.
Memor fui dierum antiquo
rum meditatus ſum in omni
bus operibus tuis et in factis
manuum tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad

te anima mea sicut terra sine
aqua tibi.
Velociter exaudi me domi
ne defecit spiritus meus.
Non auertas faciem tuam
a me: et similis ero descendenti
bus in lacum.
Auditam fac michi mane
misericordiam tuam: quia
in te speraui.
Notam fac michi uiam in
qua ambulem: quia ad te le

uaui animam meam.
Eripe me de inimicis meis
domine ad te confugi doce me
facere uoluntatem tuam qui
a deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus de
ducet me in terram rectam ꝓp
ter nomen tuum domine uiui
ficabis me in equitate tua.
Educes de tribulacione a
nimam meam: et in misericor
dia tua disperdes omnes ini

micos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

Gloria patri. añ. Ne reminiscaris domine delicta nostra vel parentum nostrorum neque vindictam sumas de peccatis nostris. parce domine parce populo tuo quem redemisti xpiste precioso sanguine tuo ne in eternum irascaris ei.

Kyrieleyson.

Xpisteleyson.
Kyrieleyson
Xpiste audi nos.
Pater de celis deus: miserere
nobis.
Fili redemptor mundi deus:
miserere nobis.
Spiritus sancte deus: mise
rere nobis.
Qui es trinus et unus de
us. miserere nobis
Sancta maria. ora p nobis.

Sancta dei genitrix. or
Sancta virgo virginum or
Sancte michael.
Sancte gabriel.
Sancte raphael
Omnes sancti angeli et ar
changeli dei. orate pro nobis
Omnes sancti beatorum spi
rituum ordines. or
Sancte iohes baptista or
Omnes sancti patriarche
et prophete. orate pro nobis.

Sancte petre or
Sancte paule or
Sancte andrea. or
Sancte iacobe. or
Sancte iohannes or
Sancte thoma or
Sancte phylippe or
Sancte iacobe. or
Sancte bartholomee or
Sancte symon or
Sancte iuda. or
Sancte barnaba. or

Sancte marce. or
Sancte luca. or
Sancte mathee. or
Omnes sancti apostoli et
euangeliste. or
Omnes sancti discipuli do
mini: orate pro nobis.
Omnes sancti innocentes
dei. or.
Sancte stephane. or.
Sancte line. or.
Sancte clete. or.

Sancte ſixte . or
Sancte corneli . or
Sancte cypriane . or
Sancte laurenti . or
Sancte vincenti . or
Sancte fabiane . or
Sancte ſebaſtiane . or
Sancte thoma . or
Sancte edmunde . or
Sancte clair . or
Sancte victor . or
Sancte blaſi . or

Sancte ſupplici. or

Sancte auguſtine. or

Sancte benedicte. or

Sancte marcelline. or

Sancte clodoalde. or

Sancte euurci. or

Sancte petre celeſtine. or

Sancte ludouice. or

